




Opuscula

UMBRÆ SEPULCHRALES,

praeclaris in Ecclesia DEI Meritis,

Perillustris olim & Admodum Reverendi Domini,

D. FRANCISCI LESNIOWIC,

Proto-Notarij Apostolici, Praepositi, & Officialis perpetui Pilecensis, Saniecensis,

DISCUSSÆ;

ac cum

in Ecclesia S. MICHAELIS pijs ejus Manibus

Iusta parentalia persolverentur,

A

M. SEBASTIANO TORTOWSKI, Philosophiae Doctore, Collega Minore, Curato Opatovecensi, Historiographo Regio,

ad memoriam posteritatis, lugubri Elogio

ILLUSTRATÆ.

Anno Domini 1711. Die 24. Martji.



CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

ELOGIUM
LVGVBRE.

NVnc novi ingenium fatorum!
ſciunt, quos ſub umbras rapiant.
Cæca Numina,
ſummopere delectat, ſi nos poſt lucem,
cæcas cum ipſis noctes ducamus.
Quare diu nolunt ſoles indulgere mortalibus,
rapiunt ſub umbras, ſi quæ lumina habemus,
involvunt cineribus, ſi gemmas:
premunt lapide, ſi pretia.
Et cum procul à nobis relegent,
quæ ludibria miſeræ mortalitatis!
uno tantum lapide à nobis diſtingvunt.
O longum iter in tam brevi ſpatio!
Vnum Marmor vide?
quantam faciat diſtantiam!
Sed illud magnopere movet hominum indignationem,
quod exſtinctos mortales, inſpergant cineribus,
& ſæpe ne ſcintillam quidem relinquant memoriæ!
Faciamus licèt ingentem apparatum,
diſcuſſuri noctes & umbras ſepulchrales.
Ponamus longo ordine lumina,
& ne umbram quidem virtutum:
nihil tot ignes efficient.
Fumum tantùm relinquent,
quo inumbrata illuſtris memoria,
noctem in ſuo lumine inveniat.
O bene egit, vel cum fatorum invidia,
qui ad tenebras mortis amovendas,

illu-

illustria in vita conquisivit opera.
Vmbras in Vmbris non sentiet.
Etsi noctem dormiet,
circumstabunt factorum lumina, quæ tenebras arceant.
Vives, quod Tuis meritis vovemus,
virtutum Tuarum luminibus.
Perillustris olim & Admodum Reverende Domine,

D. FRANCISCE
LESNIOWIC,

Proto-Notarie Apostolice,
Præposite, Officialis perpetue Pilecensis, Saniecensis.
Totum Te impendisti in operum præclarorum exercitia.
Sic totam posteritatem Tui memoriâ exercebis.
Te omnes anni loquentur,
Tuis vocales & animati meritis.
Colent Te posteri;
tanquam Cultorem optimum probitatis.
Imò impius esset, quicunq; Tuæ gnarus pietatis,
nollet erga Te pium sensum piamq; habere memoriam.
Impressisti adhuc Iuvenis arenis Academicis,
vestigia tam virtutum, quàm literarum.
Excidisti ex Parnassi Iagellonici Sylvis fatidicis,
trophæa scientiæ Tuæ;
pro qua Tu victoria laureatus,
sub umbra Corymbi clarissimè demonstrâsti,
ex Philosophicis difficultatibus,
triumphans ingenium.
Quodsi Ausonius redivivus foret,
aut Svetonius post XII. Cæsarum vitas,
Grammaticis celebrandis impenderent operam.
Tu quoq; impleres laboribus Tuis hanc classem,
celebris in Novodvorsciano Collegio,
parvæ, sed ad fastigia scientiarum artis ordinatæ.
His in arena nostra exercitus curis,

ſanctioribus dedicatâ opera functionibus,
Auſpicio Cygni TRZEBICIANI evocatus,
ad Eccleſiaſtica indulgentiſſimè munera
Præpoſitum Irzedzenſem egit.
Totus impenſus pietati,
dum aras exornaret, & Superos ditaret,
Superum curâ honoribus majoribus, ornatus effulſit.
Sic cæleſtium honores dum pij curamus,
cæleſtium etiam favoribus abundè ditamur.
Nemo indonatus abijt, licèt parva ſparſit Divis munera.
Penſant hi magis animum, quàm donorum fulgorem?
atſi ingentes opes cum puro animo Cælo impendimus;
cum ingenti fænore, ſperemus redituras ad nos opes.
Sic ille ab Irzedzenſi Præpoſitura,
ad Pilecenſem Collegiatam Præpoſitus & Officialis;
Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini,
D. STANISLAI in Warſzyce WARSZYCKI,
Caſtellani Cracovienſis gratiâ promotus:
viſus eſt collegiſſe titulos pro expenſis in Superos divitijs.
Verùm ampliorem, in ampliori honore, nactus arenam,
non ſterilem fecit beneficijs.
Depluebat in Divos aurô, quod mirum! de terris:
& oſtendit habere tellurem aureos imbres;
modo homines velint ſerena fronte pluere.
Nam non placet Divis, ſi de triſti frontis nube,
in ſuas aras & Templa defluunt beneficia,
Volunt rores noſtros; ſed à ſereno manantes animo.
Corrumpis beneficia ſi nubem illis obducis.
Quàm prompto animo illuſtria beneficia;
duodecem, formæ eximiæ & magnitudinis impoſuit candelabris.
O nunquam caſuras in hoc Nomen Umbras!
tanquam Stellis duodecem, prælucentibus ſibi Cereis.
Cælum ſi dicas Aras Pilecenſes?
habebis duodecem ſigna Zodiaci illuſtria,
in duodecem candelabris.

Series

Series tota seculorum huic militabit,
in Confraternitate S. IOSEPHI fundata.
Quot nexus erunt fraternæ sub Divo pietatis,
tot nodi, ad detinendum hoc Nomen,
in memoria posteritatis.
Florebit Rosis Rosarij Mariani:
nihil hyemes æternis nocebunt floribus,
nihil Aquilo, nihil Eurus.
Sub Sole Mariano, nesciunt hi flores brumam.
Quò sidus MARIA prospicit;
ibi rident nives, & Aquilones Favonios induunt.
Non sunt maligna sidera circa MARIAM,
premit enim triumphali calce,
omnium Caput malorum Serpentem.
Quam lucem sperare potestis,
profusa in MARIAM beneficia?
Tota illa amicta Sole, nec in se,
nec in suis, patitur tenebras.
Meridies est, umbram non habet:
nisi sub Pedibus, quia Meridies est.
Circa ipsam fulgentia mortalium munera,
semper rectô percutiuntur radiô.
Sic nos merè frustra faciei paginæ,
induximus umbras:
cùm omnia opera lux ambiat:
nisi illustres dixissemus, cæcutiremus in luce.
En è Claro Monte, tanquam de Libano,
Lumen in polo nostro,
in toto Orbe, miraculis illustrissimum venit?
Sat illud est sua luce coruscum,
sat gratijs splendidissimum,
At ut lucem adderet luci,
perpetuam lampadem suspendit,
MARIÆ Soli amictæ.
Viderat nempe deesse in terris sidera MARIÆ;
sic appendit ante MARIAM lucens astrum.

Et quia nunquam extinguendum est lumen Virgineum,
perpetua voluit esse sua lumina.
Affixa in Divi Pauli Eremo,
umbras non sentient, lucus enim ibi est;
non tenebris, at luce virtutum obsitus.
Vtinam de victrici Ala MICHAELIS penna detur!
sola posset bene describere beneficia?
vel alijs, vel sub hoc Duce, in terris,
militantibus concessa Triarijs.
Hujus Ducis sub tutellam, & scutum,
non tantùm deposuit liberalitatem;
verùm, quod intimum habuit, Corpus.
Debuit munificentiâ illustris Manus,
intra illius Templi Manes locari:
testis apud posteritatem suæ pietatis.
In libra MICHAELIS examinata beneficia
non cælum erubescent, non terras.
Et præter corpus dedit animam
quòd vovemus, Duci Angelico,
& (ut piè creditur) Iudici Animarum, ad Examen.
Præterea candidam Magnæ Teresiæ Manum,
semper habebit suæ memoriæ militantem;
eo candore, quo & in moribus,
& in veste liliata eminet.
Timere non potest, ne umbris involvatur,
vigilat, qui arceat tenebras, ignitus Eliæ Gladius.
Inter Carmeli stellas, non dantur noctes.
Quæ verò cura Vestalium erit,
sub Divo IOSEPHO castos ignes servantium:
ut sui Mecænatis beneficia,
oblivionis non inducantur noctibus.
Solis radij fulgent in auro,
tam debent conservari benè, & accuratè;
quàm si à Sole ignis acceptus foveatur.
Stabunt certè illustria
Saxis impressa, in muro erecta.

Quot

Quot ſcintillas duri tenent ſilices;
tot erunt immortalis memoriæ flammæ.
O illa non extinguenda gloria!
nam tædis pronubis illuſtrata.
Sæpe egena conjugia traxerunt,
in eodem vitæ nexu ſociam egeſtatem.
Vt, fortè Alexandri gladiò non ſolvendus nodus,
faciliùs ſolveretur, Plutum pro Vulcano ſubmittebat.
Erant certè felicia conſortia,
cùm vitæ ſociam haberent fortunam,
hac Manu ſibi colligatam.
Non deliteſcet, in angulo Poloniæ, Kęty,
Pauperi FRANCISCO data liberalitas.
Minores Reformatorum Patres, ferent ſub aſtra,
notâ Orbi, coramq; cælo illuſtri pietate.
Creſcent in hoc gradu beneficia;
maximaq; reputabuntur apud Minores.
Quàm bene providiſtis Superi! quòd aliquando,
dives ſit à Franciſco, pauper FRANCISCVS.
Dicam quod ſentio:
nullum perdidit diem, donavit liberalitate.
Inveniet qui recenſebit beneficia:
nos cuiq; reliquimus additionem.
Subtraxit quidem multùm arcana liberalitas,
cælum tantummodo ad calculum vocando.
Strinxit orbe ſuo FASCIA MAŁACHOVIANA
effuſam hanc in Templa, in Divos pietatem.
Gaudebat & Tuô judiciô PRINCEPS CELSISSIME.
Videbatur ad mentem Superûm agere, cùm ad Tuam;
Satis eſt, cùm CAPVT ŁVBIENIVM annuit!
Condidit ſibi manu in Cælo divitias:
quibus nunc accedit ornamentum à ROSIS.
Erige è ſepulchro Caput? ſertum erit;
nam circa tumulum Flores ſparguntur?
Vobis claræ Pilecenſis Collegiatæ Patres;
cum amoris ſui ignibus tradit lampada?

 Non

Non extinguetur in cineribus,
si vos amoris addetis flammam sopitis.
Qui fulgor in pagina à Sceptris!
Magnifici Perillustris & Reverendissimi Domini,
D. M. PETRI PRACZLEWIC,
S. Th: Doctoris, CANONICI, Cath: Crac: DECANI Pilec: RECTORIS Univ:
vellem (sed poteritnè Magnificentia Nominis
tam arctis teneri terminis) laudare.
Satis erunt illustres Vmbræ Sepulchrales,
hoc sibi lumine apposito.
Ardebit amoris ignibus Vmbra hæc
Perillustris & Admodum Reverendi Domini,
D. CASIMIRI DOBRAKOWSKI,
Præpositi & Officialis perpetui Pilecensis Sadecensis.
Succenderunt beneficia, Honorum lumina;
nec poterit extingui in grata memoria,
qui accendit diem titulorum.
Succede vovemus in nomina, Duce virtute,
veni ad famam præcurrentibus meritis.
ad annos & secula, cæli favoribus.
Diem dices umbris, si nomen hoc violabunt.
Clarissime ac Consultissime Domine,
D. ADALBERTE KRZYZANSKI,
Regens Cancellariæ Cracoviensis.
Tu nempe sumpto à Protonotario Apostolico, calamô
fidem facies posteritati Notarius Apostolicus:
nunquam posse, in Divos effusa beneficia, latere.
O Tu! qui sidera das pro meritis,
pro pietate radios, & stellatas coronas:
indulge, ut in luce beatitudinis fulgeat;
cujus virtutes, merita, pietatem, liberalitatem,
hac mortalitatis umbrâ depinximus.







